



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annvæ Litteræ Provinciæ Mediolanens. Anni M.DC.VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69662](#)

A N N V Æ L I T T E R Æ
P R O V I N C I Æ M E D I O L A N E N S .
A N N I M . D C . V I .

Abuit hoc anno Prouincia Mediolanensis socios trecentos triginta sex. In Domo Professa Mediolani triginta duos. In Collegio Brerano septuaginta tres. In Genuensi Professorum Domo duodetriginta. In Collegio tredecim. Quadrageinta tres in Domo Probationis. In Taurinensi Collegio vigintquinque. In Monte Regali quindecim. Duodecim Vercellis. Aronæ quadrageinta quatuor. Quatuordecim Cremonæ. Nouocomi tredecim. Bastiæ in Corsica septem. In Residentiis, Alexandrina sex, Ticinensi quinque. Nicææ duos. In Missione ad Vallem Clauenam unum. Migrarunt e vita duo. In Societatem adsciti duo supraviginti.

D O M V S P R O F E S S A M E -
diolanensis.

Diuturnæ de cōtrouersiis bonis inter principes uiros ciuitatis compositæ lites, cum maximè timendum esset, ne multis ultiro, citroq; offendis exacerbatis animis, ius omne cum publica multorum pernicie ad arma transferrent. Genueenses duo ad auitam Religionem perducti. Turca a nostris Christiana mysteria edoctus, deserto

A Maho-

PROVINCIA

2

Mahomete baptizatus est. E vinculis tres corrogata pecunia exempti. Omnium peccatorum Indulgentia concessa ijs, qui rite sacramentis expiati ad nostram ædem supplicatum irent. Solemnioribus diebus Diui Fidelis, cui dicatum templum est, Circumcisionis Domini, & publicarum precum quadraginta horarum bacchanalibus feriis, tempulum nostrum confitentium & communicantium longe solito majo e frequentia magis, quam splendido de more apparatu insigne reddidit. Magni iejunij tempore, ut ternis tantum quaque hebdomada diebus concio haberetur, fractæ senio concionatoris vires effecerunt. Sed compensauit alterius diei cessatione alterius frequetia & fructus. Si satis uno tantu exemplo notare, ut usitata magis omissantur. Nobilis mulier difficultate partus acerbè conflictata, cum valde periclitaretur, suadente nostro sacerdote, p se ut in templo sanctissima Hostia exponeretur, cum petiisset, gratam fuisse Deo piezatem exitus comprobauit, liquidem sub vesperam incolmis mater incolumem foetum edidit. Fue-
re pariter multis praesens remedium, & spectris Dæmonum absterrendis, & morbis corporis depellendis, à nostris cereæ cœlestis Agni imagines suppeditaræ.

Sensit & muliercula nostrorum opem. Hæc mariti acerbitate in desperationem versa, ad suspendum voluntarium tamquam miseriarum ultimum confugit. Aptat trabi restem, collum inserit, desilit è scamno, sed quæ Dei misericordia est, vicini forte prospicientes per fenestram infelicem fœminam

minam de trabe pendentem aspiciunt, accurrunt protinus, effringunt fores, funem resecant, mulierem adhuc spirantem animaduertunt. Accersitur unus è nostris non inuenio Parocho; Aduolat hic; mulierem reuocato animo meliusculè habentem magno pietatis sensu admissi facinoris admonet, tum scelus exaggrat; Maritum vocari jubet, eiusdem grauibus verbis increpat seueritatem, denique multis astantibus vtrumque conciliat, mulieris prius animo Confessione criminum expiato, quæ non ita multo post conualuit. Vir æquè nobilis, & potens famulis dumtaxat quatuor comitatus, ab inimico issuasus armata manu, uno è suis amissis, duobus vulneratis, vix ipse cum quatuore euasit è pugna. Hæsit altius animo accepta iniuria, ut non nisi de vindicta cogitaret, sed illi præcipuum explendi odij materiam subitanea inimici mors ademit. Ergo in superstites socios facinoris ira conuersa, omnes ut proscribantur impetrat.

Ex illis unus cum non sibi satis cauisset, in vincula conjectus securi percutitur. Alterum ipse per sicarium è medio tollit. Sed horum sanguine expletur vlciscendi libido, donec unus superfit.

Dum igitur reliquis numerata peccunia per nefarios homines ex insidiis morte molitur, fit certè Deo volente uni è nostris obuiam, cum quo alias egerat. Excipit sacerdos noster iniuriæ tenacem hominem, atque vltionis auidum, iucundo atque hilari colloquio. Mox sese paulatim ac prudenter idē ille noster insinuans, cum

hujusmodi sermonem inseruisset, & quæ precibus quæ rationum momentis à concilio cædis deducere conatur. Quid plura sic apposita oratione iratum hominem expugnauit, ita prorsus ex animo omnem abstersit ulciscendi cupiditatem, ut paucis post diebus, quæ dederat necis mandata commutarit. Capitalis facinoris reus præteritæ vitæ peccatis apud nostrum sacerdotem depositis, ita est ab eo salutaribus monitis confirmatus, ut non modo se promptum ad noxas suppicio libenter luendas prebuerit, sed præterea magno sensu doloris prædicaret, nullum esse tam turpe genus mortis, nullos tam acerbos cruciatus, quam suis sceleribus, ac flagitijs deberentur, quosq; etiam esset hilari animo sufferre paratus; eademque constantia mentis pie mortem obiit.

Tres in societatem admissi; Aliis idē expetentibus res in præsens negata, data tamen spes in posterum, satis enim ex procellis vicinæ Prouinciae numerus præsertim coadiutorum est auctus. Nec vero mulieres pietatis palmam viris concesserūt. Virgines multæ ex iis, quæ nostrum templum frequentant ad varia cœnobia animum appulerunt. Aliæ tenuioris fortunæ domi suæ sese DEO consecrarunt. Gubernator Ciuitatis quam sit in nos propenso animo, frequens ad ædem nostram aduentus, saepè submissa cibaria, aliaque eleemosynæ nomine per multa aperte declarant. Illustrissimus Cardinalis Borromæus se nobis in omnibus longe quam alias benevolum præstat. Eius est in nos tanto Præsule digna liberalitas, & mansuetudo, præsertim amplissimis benevolentiae verbis condita,

quæ

MEDIOLANENSIS.

5

quæ quanti nos faciat, non obscure testantur. Deus hanc illi in nos propensam voluntatem conseruet, ut est in nobis illi quaqua ratione gratificandi studium.

Præter ea, quæ ad necessarios usus in dies pia ciuium liberalitas suppeditat, unus, cuius haud est jampridem in nos obscura beneficentia, centum aureos attribuit, alterius liberalitate, cuius nomen non ignorat, qui cuncta tuerit. Argentetus lychnichus quinquaginta ferme aureorum ante aram Transfigurationis appensus est, eiq; ad ignem perpetuo alendum redditus attributi. Reliqua quæ ad templi sacram suppellectilem accessere hoc anno, trecentorum aureorum summam exceedunt:

COLLEGIVM ME- diolanense.

Illustrissim. Cardinalis Borromæus inuitatus a P. Prouinciali in nostro templo rem Diuinā fecit, discipulosque omnes sacro epulo excepit, ad eosdemque non elegantem minus, quam ad omnem pietatem accommodatam sub sacro adhortationem habuit. Post hæc Domum ingressus, familiariter variis de rebus differens cum P. Prouinciali aliisque Patribus, non nihil commoratus est, futurus alioquin apud nos tota die, uti spem dederat, nisi minus commoda valetudo prohibuisset. Nostrorum Beatorum fama augetur in dies, & mi-

A 3

raculis

PROVINCIA

raculis etiam comprobatur. Adolescens quidam tertiana laborans, cum febris accessio expectaretur, illam B. Stanislai ope implorata, non modo planè depulit, sed qui debilitatis viribus vix morueri poterat, repente exiliens è lecto, magna omnium admiratione ad nostrum Collegium conuolauit.

Alter è Societate doloribus ex intestinis obnoxius, cum is virginetur acerbius aliquando, ita ut prope exanimaretur, B. Aloysii Gonzagæ fama excitatus, contra vim morbi eius implorauit auxilium, plane confidens non minus benignum futurum in suos, quam quotidie in alienos fuisse referretur. Haud spe frustratus est sua. Dolor continuò remittere cœpit, omniq[ue] prorsus molestia intra dimidiæ horæ spatum liberatus est. Idem eodem B. Gonzaga deprecatore usus, non mediocrem etiam à Deo peccatorum suorum dolorem impetravit. Ipsiis verò B. P. Ignatio, & Xaverio sacris diebus, utriusque, quæ in templo est, magnifico apparatu exornata effigie, sacrum Scholastici tam domestici, quam exteriori omnes iniere conuiuim. Quod ad domesticos pertinet, non minus pietatis officia, quam ingeniorum studia vident.

In varias Vrbis partes distributi nostri diebus festis doctrinæ studium acriter promouent. Per Quadragesimæ tempus in finitimus pagis multi conciones habuerunt. Alij vicatim per Vrbem, alijs ad templi valvas, quo tempore Discipuli ad sacram conueniunt, eleemosynam petunt pauperibus vincitis distribuendam. Ressacra Tem-

pli

MEDIOLANENSIS. 7

pli sacrificantis sacerdotis non exigui precij ornatus
argenteo calice, quatuor item argenteis candelabris
affabré factis est aucta.

COLLEGIVM GENVENSE.

TRes à Mahomete ad Christum adducti. In ergastulis nostrorum hortatu adducti non pauci ad expiationem criminum. Domi nunc primum iis ex discipulis, qui B. V. sodalitatem non frequentant, festis diebus in ipsis exedris Catechismus explicari cœptus. Pacificationes aliquot compositæ. Nosocomiis tanto ardore sodales inseruiunt, ut nonnihil moderandi fuerint, cum præsertim increbuisset nos Adolescentes in Societatem admittendos, hoc prius Christianæ pietatis & humilitatis officio experiri. Nouem in Societatem admissi, quinque supra triginta eandem habent in votis. Aliis Religiosis ordinibus vndeclim adscripti. Quatuordecim idem meditantur.

Adolescens quidam à procaci fœmina ad fasciis inuitatus, non ipse modo de se, verum etiam de impudica muliercula gloriòsè victoriam reportauit. Eam siquidem genua flectere adegit, si biisque coram D E O polliceri, nil tale in posterum ausuram. Adolescens natura alioquin præferuido ingenio, à petulati socio colapho exceptus, non alia ratione, quam altera oblata maxilla, iniuriam ultius est. Alter seminudi pauperis miseria commotus, detractum à dígito annulum illi ad coëmendas vestes, quibus tegetur, dono dedit. Quidam etiam suam in Societatem benevolentiam egregiè significauit. Is in quosdam cum incidisset B. Ignatij, ac Societatis nomen carpentes, veritatis, ac Societatis amore

A 4 impul-

PROVINCIA

impulsus facere non potuit, quin eorum verbis saltem linguæ petulantiam castigaret; idemque interrogatus, nunquid innocentiam B. P. Ignatij sanguinetueri paratus esset, prouolutus in genua, hilari vultu gladio, quem perditus intentabat, aperio finu pectus obtulit. Etsi enim ut credibile est, mens fuit tantum nefario illi adolescentis experiri constantiam, aut à se repellere, non tamen per hunc stetit, quin suam erga B. P. Ignatium obseruantiam vere contempto vitæ periculo testaretur.

Parthenius Sodalis cum uniuersæ vitæ noxas sacra Confessione delere peroptaret, nec facile peccata reuocare posset in memoriam, id a B. P. Ignatio enixe petere instituit, voto etiam se Societas obstringens, si fieret voti compos. Miradictures. Eodem puncto temporis ita sese illi vniuersæ vitæ crimina ante mentis oculos obiecere, ut plane sibi ea in tabella depicta intueri videretur.

TAVRINENSE COLLEGIVM ac missio Bibiana.

Octo bonæ spei Adolescentes societatem sunt amplexi: Plures expectant. Alij in alias Religiosorum familias admissi. Veneratur in dies magis Ciuitas tota Beatos nostræ Societatis, præsertim B. P. Ignatium, & B. Aloysium Gonzagam, ob accepta singularia ab ijs beneficia. Serenissimus Dux pro sua erga Societatem voluntate, non desistit de nobis bene mereri.

Filios

Filios, & filias natu minores duas de Societate sacerdotem à Confessionibus habere voluit. Reliqui Aulici maximam partem expiandis animi noxis pariter nostros adhibent. Redeentes ex Hispania maiores natu Principes, atq; præter ædes nostras procédentes honorifice à nostris excepti. Alter è nostris in vicino oppido tanta confluentum multitudine auditus est, vt cum per amplio alioquin templo excluderetur multi, scalis admotis ad fenestras plerique ascenderent, ne diuino eloquio frustarentur. Audiendi studium non magis fausta sæpe acclamations, gemitus, & lachrymæ, quam mutationes morum & vniuersæ vitæ expiations comprobarunt. Doctrina Christiana non solum in multis templis vrbis, sed etiam in vicino pago rudibus magno concursu, & fructu explicata. Quo tempore maxime efferuerunt stultorum insaniam, ornatum quam maximo hoc anno primum in nostro templo quadraginta horarum supplicatio habita, ciuitatem vniuersam à ludis ad Deum conuertit, tantique fuerunt ad ædem nostram concursus, vt mature præoccupatis locis, multo plures, quam quibus pateret ingressus, aditu templi prohiberentur. Supremus Cancellarius ter frustra conatus multitudinis agmen perrumpere, denique per Collegium in odæum concessit. Auxit etiam Serenissimus Dux sua præsentia collaudata pietate celebritatem. Nec solum Catholicis auxilio, sed etiā Hæreticis nostri saluti fuerūt. Geneue quidam apud Theodorum Bezam insignem hæresiarcham impias à puero opiniones hauserat, piorum quorundam hominum confilio ad nos diuertit. Hic à nostris exceptus, & in sutrina occupatus, donec errores de-

A 5 disceret

10 PROVINCIA

disceret, variis modis grauiter s^epe à Satana oppugnatus est. Nunc n. ad odium nostrorū extimulabat, alias alliciebat ad amorem Patriæ, interdum ut ad vicinos hereticos adiret, aliquando et ut sese præcipite daret è fenestra, auctor erat. His perturbationi fluentibus æstuantem forte Gallus quidā, qui & ipse non ita multo ante, dānata perfidia, ad Catholicos se recepit, cōuenit, ex toto vultu, & sermone amicum dæmonis insidijs obnoxiiū facile deprehendit. Amicè monet, dehortatur à cōcepto scelere, sedare quacunq; ratione potest, perturbatam mentem aggreditur. Libellum etiā discedēs ad id satis oportunum tradit. Sed Hæreticus eo perlecto, quod Pontificis autoritatem tueretur, Hæretorumq; insaniam refutaret, ita exarsit, vt & amicū maledictis proscindere, & fugam acrius meditari cœperit. Interea nostri salutaribus consilijs hominem iuuare, errores detegere, argumentis conuincere, instare, obsecrari, vt resipiscat, sed frustra. Deniq; moræ impatiens sacra syndone solēni die, insalutato hospite, Geneuāversus iter corripit. Mirū dictu, vix alterum miliare progressus vir bene robust⁹ repete virib⁹ destituitur, sedenti præ lassitudine liberali admodum facie adolescentulus sit obuiam, saluteq; de more dicta, mœroris, qui sese in facie prodebat, idiomate Gallico causam sciscitatur. Consilio cognito: O te miserum, exceptit. Ita ne suadentis Satanæ calliditates ignoras? Quid furis demens? Quid mortis laqueos repetis, è quibus Dei beneficio semel auolasti? Redime si sapi stultitiam saniore consilio, mecumquę in urbem redi. Durus, atq; obfirmatus animus his vocibus emollii ac flecti non nihil visus est. Saltem consilium damnare

mnare cœpit, quod tanta cum ingratia animi significatione Patres deseruisset, quorum in se per duos menses omne genus officij, & charitatis fuerat expertus. Ergo verbis adolescentis acquiescens eise comitem adiungit, eiusque in itinere mirificè sermonibus delectatur. Ut autem appareret causa defatigationis, cum sanitatem mentis rediere vides. Ad urbis portas cum peruentum esset, dum alid forte flectit oculos, fidus ac salutaris socius apparere desigit, repente subductum ex oculis cum diu quæsiisset, ac sæpe vocasset frustra, tandem ad Patres peruenisse rat⁹, ut tota de re certiores faceret, citato & ipse gradu ad Collegium aduolat. De adolescente percunctatur. Admirantibus illis quid hoc rei esset, magis ipse admirabundus rem totam aperit. In ipsaque narratione, quasi ea obductas nubes dissiparet, miram quandam mentis serenitatem intueri cœpit. Haud dubitandum, Custodem Angelum suæ curæ commissio acceptabili forma adolescentis consuluisse. Paucis post diebus abiurata publicè Hæresi Ecclesiæ Catholicæ restitutus est, cumque ab Archiepiscopo ad amplexum admireretur, se flammarum sibi è pectore erumpentem sensisse testatus est, qua liberatus perfectam tranquillitatem inuenit. Is postea satis in fide confirmatus, conquisitis elemosynis, Romam ad Apostolorum limina peregrinationem suscepit.

Qui Patres Bibianæ resident, haud inutiliter in locis hæresibus infectis operam posuerunt. Tenera ætas Catholicæ Religionis rudimentis magna cura instituta. Hæretici quinque à Calvino ad

Christum

12 PROVINCIA

Christum traducti, confirmati nutantes in fide. Ad defectionem spectantes ab incepto deterriti. Catholici ad omanem pietatem instituti, ad eamque morum integritatem redacti, ut eos vel ipsi Hæretorum ministri admirantur, & (quæ vis virtutis est) pro suggestu suis ad imitandum proponant. Praua etiam consuetudo omninoque à Christianis moribus abhorrens, quæ his in locis inuetauerat, debacchandi per sacri Aduentus ferias, in honorem S. Nicolai, & Catharinæ Virginis Dei auxilio sublata est.

COLLEGIVM MONTIS REgalis.

Inductus frequens sacrorum usus, cum vix praeter paucos a dmodū reperiretur, qui sèpius quam semel aut iterū singulis annis sacrè mensè accumbarent. Episcopi incredibilis est erga nos benevolentia. Declarant hoc apertè rerum nostrarum tutela, liberales eleemosynæ, facultas omnis, quam habet à quibuscunq; conscientiæ vinculis peccatores eximendi, nostris sacerdotibus liberaliter concessa, ad confessiones excipiendas admissi nostri confessarij sola Patris Rectoris approbatione. Familiarietas cum nostris, vt non unquam præmisso prandio apud nos esse non nolit. Accidit quod tantam in nos benevolentiam augeret, & nostrorum pariter in Cives amorē testaretur. Nocte intempesta nescio quo casu peracerbum in æde primarij ciuis incendium excitatum est. Datum campanæ, tubarumque signum notum ciuibus ad poscidendam opem terruit ciuitatēvnitersam. Subito exppericti nostri sacerdotes atque

tes atque Magistri, ac fratres omnes ad propulsandum periculum primi omnium conuolant, omni ope vagantem ignem cohibere aggrediuntur. Alij flammariū voragini rem domesticam subtrahere, alij aquarū plena vasa conuehere, alij catenas appendere ad ea facilius ac citius vacua; ac plena sustollenda vicissim, ac demittenda, alij singulis officia distribuere, ne mutuo impedirentur. Vicit constans charitas flammorum iras, breuique omnis ignis licentia compressa. Hæc non obscuri amoris argumenta nobis ciuitatem antea beneuolam deuinixerunt, ut per multos dies, domi, foris, in cōpitis ac vicis, omnes de nostrorum humanitate singulari & charitate loquerentur. Auxit hic etiam mirum in modum nostrum nomen in Venetorum inobedientia singularis Societatis erga Pontificem obedientia, sic enim palam dictitant, eam demum esse veram virtutem, quæ rebus aduersis nitet, aurum contemnit, & opes, proprias ædes deserit, omniaque potius libenter perferat, quam ut aliquid sibi labis adspergi permittat. Accedat his quæ diximus velut in cumulum, concionatoris è Dominicana familia, propter senectutem, vitæ integritatem & doctrinam summae apud omnes auctoritatis, atque de Religione Taurini Quæsitoris, nostræ societatis encōmium. Is enim pro cōcione in æde principe nostros sacerdotes & magistros viros solidæ virtutis, sanctissimæ vitæ atque doctrinæ singularis esse, addiditque ad extremum, à ciuitate inter præcipua sui vel ornamenta, vel præsidia collocandum esse, quod nostros suo foueret amplexu. Serenissimus Sabaudiæ Dux cum duobus minoribus natu filijs, aliis duobus principibus

cipibus ex Hispania redeuntibus aliquot milliaria obuiam profectus, aliquandiu in hac vrbe substitit. Donauimus domestici horti munusculis, eumque omniū nomine Collegij Rector inviuit.

COMENSE COLLEGIVM.

Aliquot ex Domesticis Rheticis hoc missi studiorum causa, & numerum nostrorum duplo fore auctiorem credidere, & ut denuo in hoc Collegio sublata superioribus annis paucitate Discipulorum, Rheticę classis restitueretur, effecerūt. Sparsos per urbem quorundam inuidorum opera minus honorificos de nostrorum discipulorum processu in literis rumores, impluuium Collegij quantum quātum est, vario genere carminum in laudem B.P. Ignatij conuestitum, & Tryphon datus scenico apparatu totius corsoru ciuitatis & approbatione, nō sine rubore aduersariorum, quod fere noti erāt, non modo planè compressit, verum etiam magnum gymnasio nomen, & gratiam conciliauit. Mulier addicta Lutherō, in eiusque erroribus ita obstinata, ut nulla ratione de sententia dimoueri posset, aut si argumentis vrgeretur, obdurato ingenio ignoratiā excusaret, nec bonitatem causæ, aut magistris suis doctrinam, sed doctrinæ causæque ac sibi deesse magistros diceret, nostri sacerdotis multo labore ac precibus, quibus assidue miseræ salutem deprecabatur, ad sanitatem mentis rediit, vniuersæque vitæ peccata confitēs, Ecclesiæ reconciliata est. Sacerdos ē nostris ab Episcopo diœcesim obeunte socius adscitus, confessionibus audiendis & Cathechismo tradendo

tradendo, nec parum, nec sine fructu laborauit, sed dum in salutem animorum toto pectori incumbit, proprius absfuit, ut salutem ipse corporis amitteret, si quidem in itinere fallente vestigio lapsus à prærupto admodum præcipitique loco, qui profundissimæ valli imminebat, tamdiu deuolutus est præceps, quam diu ad saxum imminens allisus hæsit, à quo & vitam habuit & vulnus, semiuius dominum relatus, verum cruribus, brachiis, ac toto corpore contusus, cum saepius in lapides & petras impingisset, breui etiam conualuit. Hæc Dei prouidentia in uno seruando in tam aperto discrimine, illustrius domi apparuit in cōmuni luctu ac mœiore ab omnibus auertendo. Nam Augusto ineunte noctu tacta de cœlo domus, cum fulmen totam pene domum oberraret, sibique per multa cubicula fecisset iter, nostris in ijs decumbentibus auditu fragore, dum alter alterum ruina oppressum credit, (quæ Dei bonitas fuit) illico omnes incolumes apparuere, nec magna admodum ruina domus consecuta est. Superioris deambulationis particula disiecta, decrustata prorsus interius cubicula, quæ illi obuiam fuerant, dum in sacrarium Dei in templum viam querit, ubi sacræ Iconis ad aram maximum decorata ornamenta per interualla labefecit, postera luce periculo diuulgato, confluentium ad nos concursus, quibus res miraculi instar visa est, ciuitatis in nos benevolentiam declarauit. Sodalitas etiam quædam suo præsidi reconciliata, sodalesque ipsi confirmati, ne exacerbatis animis pietatis quædam opera desererent. Ex his cum satis pateat, omnia totius fere insulæ incom-

commoda ex intestinis odiis nasci , quæ incredibile est quantum discordiarum foueant, ut raditus malum aliquando extirpare possint nostræ disciplinæ alumni, iisque præsertim, qui B. V. Sodalitatem frequentant, quæ hoc anno primariæ Romanæ aggregata est, ad iniurias Christi causa æquanimiter ferendas edocerent. Et sane habet hoc in his adolescentibus magnâ admirationem, qui ferociam parétum suxerunt cum lacte nutricis. Inductus etiam singulis annis generalis confessionis usus.

DOMVS PROBATIONIS Genuensis.

Laborauit hoc anno Domus Probationis Genuensis angustia rei familiaris, que neq; annuo redditu capita tantummodo 20. alere potuisset, hoc anno præter sacerdotes 4. cum 2. adiutoribus veteranis, Nouitijs ad 40. sumptum suppeditauit. Non minus capite laborarunt Tyrones aliqui: quippe à crassiore cœlo , liberioreque vita , ad subtile斯 auras , & arctius viuendi genus traslati cum fuerint, nō mirum in ipsis nonnullam valedicinis factam mutationē esse. Enim uero rerum omnium sapietissimus gubernator, & moderator Deus utrique bene prouidit incommodo , siquidem ad subleuandam inopiam plurimis hinc inde collatis cleemosynis, aureorum quadrigentorum quinquaginta summa completa, & ineunte autumno partito numero Nouitorum cum Aronensi Probationis domo, sumptus non parum imminuti. Accessere etiam ad annuos redditus quingenti nummi aurei

aurei huic domui in perpetuum dono dati à viro nobili, qui vna contentus diuina gloria, nomen suum vulgari noluit. Ecclesia S. Ioan. Bapt. decollato sacra, octauo ab hinc anno ab Abate Flisco societati donata, superatis multis difficultatib⁹, ipsis ēt non modo nō refragantibus, sed suffragatibus Dominis, Pontificio diplomate obtento, nostris vſibus peropportuna hoc tandem anno concessa est. Ægræ porrò valitudini, ne progrederetur, terminum posuit Deus, tum vero etiam ampliore illam animi ac mentis robore compensatam mitigauit, tantus enim hoc anno fuit Tyronum omnium ad omnem perfectiōnem ardor animi, nihil ut propemodum meditari, nihil habere in animo viderentur, quam ut animi impetus ratione coērcerent, proprias cupiditates frāgerent, & vt verbo dicam, totius perfectionis exemplar Christi Domini in se effingerent. Duxit originem tam præclarus in virtute progressus ex illo vberrimo Societatis nostræ fonte virtutum omnium (hoc enim nomine B.P.N.Ignatij commentationes appellari posse videtur.) Nouembri exeunte superiores anni, in eius locum, qui Collegij Genuensis moderandi munus subierat, alter Nouitiorum magister suffectus est. Huius & prima cura fuit, vt & ipse, & Tyrones omnes mentes suas ad cœlestes satus accipiendos, Beati P. Ignatij commentationibus præpararent. Et quidem pīj otij constitit fructus; namque ijs sunt inflammati desideriis, mirum vt videri debeat nemini, si inter paucos dies, & menses tot, tam crebra, tamque insignia ediderint exempla virtutum. Anno vertente alter Nouitiorum magister in proximi locum successit, quod Aronam ille veterem

B rem

18 PROVINCIA

rem Tyronū coloniam, nouos colonos deduxisset,

DOMVS PROBATIONIS

Aronensis.

EX Logicorum, & humanistarum nostrorum seminario iterum domus Probationis constituta, in eunte Autumno, ut supra dictum scholastis per varia Collegia distributis. Nouitij omnes recens in Societatem admissi, quinq; exceptis, qui ex Genuensi Tyrocinio huc commigrarunt, quibus haud salubris cœli illius subtilitas. Pergratum sibi oppidani, sed præsertim illustrissimos Cardinalis Borromæ hanc Tyronum in antiquam sedem restitutionem accidisse, nō obscurè declararunt. Consuetæ Tyrocinij exercitationes paulatim & experimenta resumuntur, quibus Deo bene iuuante effectum iri speramus, vt solida iacent, & iacta confirmant fundamenta virtutum.

NICÆÆ SEDES.

ADolescens quidam annos decem & septem circa natus, ad B. Virginis cætum inuitatus à sociis, ægre primum id sibi persuaderi passus est, mox simulac in æde vestigium posuit, illico iterum mutata voluntate, nullis Sodalium summis vel infimis precibus retineri potuit (tunc abhorrebat ab hospitali domo, in qua primis mensibus degerunt nostri) recedit solus, rectâ natatum proficiscitur, statimque ingressus hauritur aquis, nec nisi efflata anima apparet. Dimisso Sodalitio vulgatus repentinus casus, explicari non potest, quantum metum omnibus intulit, & cum, qua hora tam horribile spectaculum euennisset,

nisset, secum ipsi reputarent, mirabiliter sunt omnes ad B. Virginis cultum, & pietatem excitati. Sicque vnius infelcis exitium in multorum salutem radundauit. Mahometanus iam senex triremium captiuus, quod à patruo viro docto audisset adolescens, legisse illum in suis libris, cæteras quascunque sectas in Christianorum fidem tandem aliquando desituras, essetq; ad nostram religionem vir valde propensus, hoc viso ad eandem inflammatus est. Videre sibi visus est in somnis sacerdotem è nostris, à quo manuprehensus, hilari vultu, vt secum iret inuitatus, cum petijisset quonā audijt: in hortum Domini. Annuenis ergo in paruum quendam hortum perductus est, sed tanta amænitate his fructibus consitum, ac floribus suauissimum odorem afflantibus distinctum, vt omnes delicias mudi superaret. Visum cōprobauit euentus; Ab eodem enim Patre, quem sibi videre visus erat, catechismo imbutus est, baptis-
mumque postea suscepit.

RESIDENTIA TICINENSIS, ET Alexandrina.

ADolescens è cætu B. Virginis, animi causa è nauicula dū pescaretur in Ticino, ea vi decurrētis aquæ ad molendinum allisa, ac distracta, sociis, qui cum eo erant in nau, tabulas, lignaq; alia, vltimum naufragorum effugium at ripientibus, solus ipse repentino periculo correptus, inops consilij, iam iam aquarum vorticibus absorbendus erat, nisi tutela B. Virginis implorata saluti fuisset. Vix Dei parentem inuocarat, cum repente illi iniecta cogitatio est, vt se in profundum aluei sub molen-

B 2

dini

20 PROVINCIA

dini rota deijceret, sicque præter omnium opinionem
apud quos iam erat illius deplorata salus , diuinitus
incolumis evasit.

Alexandriæ etiam consueta Societatis officia ma-
gno concursu ciuitati præstita. Illud nouum ad
ciuitatis in nos benevolentiam declarandam , ab ea
videlicet , nobis insciis , ab admodum Reuerendo
Aulerio ducentorum aureorum annui redditus im-
petrati , qui iam aliis destinati fuerant. Trium fra-
trum inimicitia , qui sæpius ad arma configuerant,
in amicitia versa. Coempta domus ad futuri Collegij
exædificationem necessaria. Eluxit in hoc pia
Sodalitatis B. Virginis liberalitas, quæ
ad id dimidiam pecunia sum
mam vltrò attui-
buit.



PRO-